

063

061

067

057

072

052

112

012

162

562

Ende

Anfang

52

De quibusdam visis et auditis mirabilibus.

His peractis per longam viam in urbem in asinis sedentes ascéndimus et in aliam urbis partem venimus, ubi stabant antiquissimi et spissi muri de quadris sectis, politis et sculptis lapidibus. Ibi quondam, ut ruinae produnt, fuit residentia potentum et tyrannorum Aegypti, sed nunc est habitatio pauperum, et superista vetusta aedificia sunt posita et viles casulae et habitacula misera. Venimus autem ad unam curiam, in qua intromissi vidi mus in ea stare obeliscum, id est columnam lapideam stupendae altitudinis et mirandae magnitudinis, unius lapidis molem, et erat rotunda, habens insculptas latinas litteras grandes, ita, quod una littera stabat super caput alterius, et prima sub capitello columnae stabat, secunda sub ea, et ita sequenter fuerunt litterae subordinatae a summo usque deorsum in terram, prae vetustate autem vix poteramus eas agnoscerere, videbatur tamen nobis, quod tenor earum esset: Joyinianus Augustus. Porro Mamaluci mirabantur, quod litteras illas cognosceremus, dicentes se nunquam hominem vidisse, qui notitiam earum habuisse. In capitello hujus columnae stat una tumba grandis lapidea, firmissime operculo clausa, et quid intus sit nemo adhuc expertus est. Nam reges Aegypti saepe conati sunt eum aperire, sed quam cito instrumentis ferreis contingitur, ut effringatur, mox columna incipit terribiliter tremere cum tumba, et tantus pavor inicitur conatum inferentibus, quod nullus evadere potest absque aliqua laesione, vel rationis privatione vel oculorum excoecatione, vel surditate, aut paralysi dissolutione. De ista columna ad aliam transivimus ei coaequalem, demitis scripturis et tumba. Quicumque autem super eam ascendere tentaverit, non descendit nisi graviter laesus in aliquo sensu corporis sui. Hae duae columnae stant e diverso, contra se invicem respicientes, et olim nihil erat intermedium aedificatum, nunc vero domunculae sunt interpositae. Porro in medio illarum duarum columnarum est subterraneus transitus, per quem venitur ad ingentem portam ferream, catenis et repagulis firmissime clausam, et nulla arte nulloque conatu potest haec porta aperiri; quicumque autem instrumentis ferreis molitur effractionem portarum, aut sensus amittit, aut certe porta ipsa ab ejus duntaxat oculis

